UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Processus Juridicus contra sagas & veneficos, Das ist: Rechtlicher Proceß/ Wie man gegen Unholdten vnd Zauberische Personen verfahren soll

Goehausen, Hermann

Rintelii ad Visurgium, 1630

V. An Sagæ quoad delationem ad nocturnos conventus, deludantur sæpius; an verò rarius? & quis sit effectus hujus ac præcedentis quæstionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64982

Visual Library

d.l.2.q.17.per tot. ſufficit autē rem ipſam, de qua quæritur; verbi gratia *delationem*, ex ipſarum confeſſionibus notare, nam ſi hanc veroſimiliter referant, parum attinet; etiamſi parerga quædam admiſceantur minus veriſimilia.

Ideo enim ſolet Diabolus falſa veris aſſuere, ut ne veris quidem fides conſtet, quod probè obſervandum; credendum itaq; Sagis confitentibus de his quæ Dæmoni poſſibilia ſunt. Confer quæ dixi *in q.præced.3.*

QUÆSTIO V.

An Sagæ quoad delationem ad nocturnos conventus deludantur Sępius; *an verò* Rarius? *& quis ſit effectus huius ac præcedentis quæſtionis.*

OStendi in *quæſt. præced.* Sagas ſeu ſtriges utriusq; ſexus, à Dæmone verè & corporaliter transferri ad nocturna illa, quæ omnium ore celebrantur, con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

venticula, in quibus omnis generis nefaria crimina nefandasq; voluptates exerceant; verumtamen *ibidem* dixi, in eo Sagas *quandoque* decipi ac fortè in ſomniis deludi: quocirca iam libet inquirere, nunquid à Dæmone quoad hoc deludantur *ſæpius*, an *rarius*?

Equidem video de hoc articulo Theologorum ſaniorum diſcrepantes eſſe opiniones, qui tamen fermè *omnes* ſicut in *præced. quæſt.* docui, in hanc ſententiam conveniunt, ſtriges verè & corporaliter ad ſua illa cōventicula à Dæmone transferri: Ita quippe habet communis *Theologorum* ac *ICtorum* inter Catholicos ſententia, de qua teſtantur, Delrius *citato loco in quæſt. præced.* & eleganter Tannerus *ad p.1. S.Thomæ. q.110. art.3. q.3. n.9.* Idem quoq; habet Inquiſitorum fidei à Summis Pontificibus conſtitutorum, & omniū in *Italia, Hiſpania, Germania, Gallia,* Eccleſiaſticorum tribunalium communis ſenſus ac praxis, ut videre eſt, tum ex geſtis & famâ publicâ, tum ex diverſis Bullis Pontificum ad Inquiſitores fidei con-

ſcri-

ſcriptis & relatis apud *Binsfeld. editione ult.*

Idque probatur, non ſolum conſtanti & concordi confeſſione ipſorum utriuſque ſexus veneficorum, ſed etiam aliis variis aliorum experimentis & oculari inſpectione, quibus fides ſine temeritate denegari non poteſt quod *in præced. q.* latius deduximus, ubi & hanc rationem Theologicam dedimus, quod Angeli boni quam mali habent naturalem vim & potentiam corpora localiter movendi, qua proinde etiam Dæmones reipſa facilè utuntur, ſicubi & ipſi hoc ſuis rebus opportunum eſſe norint, & Deus, ut id faciant, permiſerit; quæ & alia in *d. quæſt.* attulimus.

Cæterum quoniam omnes ii ſcriptores Catholici fatentur, *nonnunquam* in eo mulierculas illas præſtigiis ac ſomniis à Diabolo immiſſis deludi, ut exiſtiment, ſe verè transferri, cum revera non transferantur, inde jam inter Catholicos quæſitum ac dubitatum fuit, *an itaq; quoad hoc* Sæpius *deludantur Sagæ, an tantum* Rarius?

Et Tanner. *citato loco* cenſet cum *Caietano Navar.& Vasquez*, quos allegat *Sæpius* quoad hoc deludi Sagas, quam verè localiter transferri: Econtra Delrius *citato loco in q. præced.* poſt *Iaquerium, Sprengerum, Binsfeldium*, contrarium ſentit, nimirum *rariſſimè* Sagas in eo decipi.

Quam & ſententiam neq; mihi diſplicere dixi *in q. præced.* præſertim quod ea admiſſa tantò fortius ac facilius convincantur *Acatholici*, cæterique qui quoad hanc delationē *Semper* deludi Sagas propugnant: addo & hoc, quod ſi *rarius* hic decipi Sagas adſtruamus, tantò certiorem reddimus de veritate confeſsionis ipſum iudicem: Etenim ſtante hac ſententia ſequitur *Sæpiſſimè* verum eſſe quod Sagæ confitentur: Et ergo bene infertur, iudicem ſequēdo confeſsionem illarum *rariſſimè* errare, quin imò nec errare, quādo enim iudici *in individuo* non conſtat Sagam confitentem deluſam eſſe, tenetur Sagæ confeſſioni ſtare, quippe quoniam affirmatur ſagas quoad hoc *rarius* decipi, tantò fortius preſumitur pro con-

feſsio-

feſsione, adeoque omni caſu judex, quia *ſecundum allegata & probata* iudicabit, erroris expers erit. *Confer quæ dixi in d. quæſt. præced.*

Verum enim verò dies diem docet, & libet ſubiicere quæ pro ſua opinione adfert *Tannerus*, quæq; ſcrupulum non levem habere videntur.

Movetur. 1. hac ratione: Quia modus hic operandi, & per deluſiones phantaſticas decipiendi hominem, magis eſt familiaris & conſentaneus Dæmoni, qui mendacii Pater eſt, & ab impoſturis Diabolus dicitur. Patet hoc in aliis eiuſdem operibus, quæ erga Sagas exercet ut cum *pecuniis, epulisq; falſis* & præſtigioſis ſæpiſsimè ſagas decipit & ludificat. Et cum Dæmon ex aſſenſu & approbatione etiam phantaſticorum criminum parem propemodum fructum, in animarum perditione, Deiq; offenſa poſitum, habeat, parum ipſius intereſt, *virtuteve*, ut ita dicam, *an fraude vincat*, animasque irretiat.

Sed poſſet fortè & ex hac ratione id inferri

ferri quod volunt *Acatholici*, Ergo quoad hæc *Semper* Sagas deludi, quod tamen nõ dicendum, & certè *probabilius* quis exiſtimarit Dæmonem Sagas ad hoſce conventus *ſæpius & verè* deferre, tum quod in illis *cultum adorationis* ipſi præſtare coguntur, tam autem Dæmon modum ſimilem colendi affectat, quam ipſum cultum divinum, *arg. Math. c.* 4. *ibi: hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me*, ac ideò veriſimilè non eſt, Dæmonem *imaginaria adoratione* contentum eſſe; tum etiã quod id Dæmoni multis de cauſis expediat, ſiquidem hęc frequens pręſentia Sagas mutua imitatione ad maiora facinora inflammat, ut ſolent carbones juncti, ac quod pręcipuum eſt difficilius convertuntur, quo pluribus teſtibus ſe Demoni addixerunt.

Quod verò in aliis actibus & rebus, veluti cum *pecuniis &c.* Demon eas frequẽter decipiat, parem cauſam cum convẽtibus hiſce vix habet, & vide eleg. *Delr. l.* 2. *q* 12. *per tot. præſertim n.* 6. *&* 10. ubi narrat quod Diabolus quibusdam nummos dederit,

derit, quorum loco poſtea in arca fimum repererint, *ſubdúq; rectè*, gaudet enim decipere & ad iracundiam homines irritare, quod non ita in conventibus, de quibus quærimus; ſanè ſi Diabolus poſſet arbitratu ſuo, quos vellet ditare, quæ eſt mortalium ferè cunctorum auri ſacra fames, valdè metuendum foret, ne ad dæmonolatriam homines ferè omnes adigeret.

Meritò itaq; ditandi homines poteſtatem atque arbitrium Deus ſibi reſervavit, nihilominus poſſet Diabolus ſuos ditare ſi Deus permitteret, & ille vellet, ſed nec, niſi rarò id Dæmon vult, quod multis exemplis confirmat *Remigius* teſtis oculatus *lib. 1. de dæmonolat. c. 4.* & Deus id ex cauſa iam allegata permittit non niſi rariſſime.

Movetur. 2. hac ratione: Deluſio eiuſmodi phantaſtica, facillima eſt diabolo, juxta doctrinam generalem *S. Thomæ 1. p. q 111. a 3 & q. 16. de malo a. 11.* prę̨ſertim circa id genus mulierculas *pathicas* & plerumq; *ſemifatuas*, ſi non etiam, ut *Cajeta-*

nus loquitur, *inſenſatas ac melancholicas vetulas*. Ex contrario realis illa & corporalis translatio non levi etiam opere & labore conſtat diabolo: non ſolum quia iumenti quodammodo operam præſtare debet tam vilibus propudiis; ſed etiam quia in corporibus phantaſticis compingendis, varioq́; adornando apparatu epularum, Symphoniæ &c. vario opus eſt labore & induſtria.

Sed poſſet fortè vix alicuius ponderis hæc videri ratio, cum Diabolus ad ſeducendum ſit velociſſimus, ac iſta de cauſa quamvis moleſtiam, ſi quæ hæc eſt, ſubeat paratiſſimus; neque hic tam ſpectandum quid ei facilius, quam *quid magis expediat*, ut lapſos in atrociora peccata pertrahat; & neſcio an non, ſi cum *Caietano* loquamur, & mulierculas haſce pro *inſenſatis* ac *melancholicis vetulis* habeamus, *Acatholicis* ac *Wierianis* maiorem cauſam ad negandum præbeamus; quin præter mulierculas, etiam videmus hodiè *viros* doctos & ſecundum ſeculum prudentes idem fateri, eiusq; criminis reos agi; ac

for-

forte hæc corporalis tranſlatio leviore opere & labore conſtabit Diabolo, quam per ſomnia eiuſmodi deluſio phantaſtica, ſiquidem, uti cum *Delrio in q. præced. §. volui quidem ad hoc argumentum.* & *§. ibid. ſeq.* dixi, facilius eſt dæmoni corpora loco movere & transferre, quam tales uniformes imaginationes & phantaſmata tam variarum rerum, dormientium ſenſui interiori immittere & imponere, equidem harum mulierecularum phantaſię eodem tempore non ſunt eodem modo diſpoſitæ, &c.

Movetur. 3. Cum ſine divina, *inquit*, permiſſione nihil horum à Diabolo fieri poſſit, jure creditur, facilius à Deo permitti, ut ſomniis & imaginationibus deludat ſua mancipia, quam externa & reali translatione toties oblectet.

Sed poſſet forte videri hanc rationem eſſe arbitrariam, & cum univerſim Deus id fieri non prohibeat, utiq; quo caſu hoc fieri Deus permiſerit, tunc verè & realiter à Dæmone id fieri, magis creditur, & certè Dæmonis mancipia per ſomnia

can-

eandem, quam ex illa translatione, capere videntur oblectationem.

Movetur 4. Cum pleræq; ex ſtrigibus ſint matrimonio iunctæ, quæ in eodem cum viris thoro cohabitare ſolent, impoſſibile eſſet moraliter, ſi frequenter totis propemodum noctibus à viris abeſſent, quin earum abſentia à viris notaretur: & tamen cum ſæpè decem, viginti, triginta & amplius annis in eo ſtatu, veneficii viris cohabitarint, nunquam tamen audimus, à viris aut earum præſentiam fuiſſe deſideratam, aut abſentiam nocturno & ſuſpecto illo tempore animadverſam. Dicere autem, quod mariti vel ab ipſis uxoribus Sagis, vel à Dæmone, immiſſo tam profundo ſomno aut ſomnio, vel etiam ſubſtituto uxoris loco, trabe aut phantaſtico corpore, & inter tot conatus nunquam fallente eventu, quaſi pro arbitratu deludantur, videtur incredibile: Tum quia Patribusfamilias quam plures facile ſeu ordinariæ ſeu extra ordinariæ ſolēt occurrere cauſæ rumpendi ſomnum. Tum quia incredibile

eſt,

eſt, Deum facile & adeò frequenter permittere, ut innocui mariti, præſertim etiam alieno corpore ſubſtituto, non ſine peccati periculo, quaſi pro arbitratu Diaboli deludantur. *Hæc Tannerus.*

Atq; hæc ratio valde probabilis videtur, equidem exiſtimat *Delri. lib. 2. q. 16. in prin.* quemadmodum *Michol* Patris ſatellites decepit, in Davidis locum ſubſtituta ſtatua. *Reg.* 19. ſic etiam poſſe & ſolere Dæmonem aſſumto corpore, & in lecto locato decipere maritum: nam ſtrige ad conventum profecta, ne maritus eam abeſſe deprehendat, ſolet eum cōſopire, vel quid aliud ſupponere, quod earum vicem ſuppleat, ut maritus expergiſcens uxorem eſſe putet, docetur hoc quidē actis judiciariis, apud *Nicol. Remig. lib. 1. dæmonolatr. c. 12.* ubi exempla eius rei adfert, quæ, quia fide publica Notariorum, qui iudiciis interfuère, ſunt conteſtata, fidem merentur; veruntamen an huic rationi *Tanneri* hinc ſatisfiat addubito.

Sed fortè poſſet dici, quod ex Sagarum

rum confeſſionibus conſtat, non in ſingulas hebdomades, neque menſes, ſed ſemel aut bis in anno, eas ad eiuſmodi conventus deferri; & ſæpè etiam *quæſita* occaſione, ex mariti vel *abſentia* vel *ebrietate*, atq; hinc ab earum maritis iſtud non tam facilè notari; quin inſuper conſtat, iſtos conventus celerrimè finiri, ad quos etiam quam ocyſſimè Sagæ deferuntur, ut tanto difficilius earum abſentia poſſit obſervari, & quæ fortè à ſemel marito ſuo rexiſſe deprehenditur, alia excuſatione neceſſaria, exiguam iſtam moram apud facilem maritum purgare poteſt; Addo hoc, quod & ipſo *Tannero d. loc. n.* 13. teſte, Sagæ aliquæ, non niſi raro corporales fieri translationes, *præſertim coniugatarum*, aſſerant, nimirum quo illæ à viris minus notari poſſint. Cæterum quod *Alciatus* 8. *parerg.* 22. quærit; *cur non potius in conventu Cacodæmonem loco mulieris, quam in lecto cum marito fuiſſe dicamus?* id quidem vim aliquam haberet, ſi quoad hoc ſola niteremur *præſumtione*, nunc non illa movemur, ſed unanimi omnium ætatum & natio-

num,

ſium, & utriuſq; ſexus, etiam Eccleſiaſticæ functionis, & ordinis Nobilium reorum *confeſſione*, contra quam nulla vim habet *præſumtio*: unde nec incredibile videri debet, Diabolum mille artificem uxoris loco aliud ſubſtituere poſſe.

Movetur. 5. Multæ etiam ex his Sagis, tum coniugatæ, tum ſolutæ puellæ, de nocte, tum ferreis clathris infeneſtras inductis, tum occluſis foribus cubiculi, totiusque domus, ita quaſi obſeptæ ſunt, ut nec aperire pronum ſit Diabolo fores, quin aliquis ſubinde ſtrepitus audiatur: nec tamen niſi apertis ianuis educere poſſibile ſit.

Sed fortè vel hæc nulla eſt ratio, vel ad quam ipſe *Tannerus citato loc. n.* 14. reſpondiſſe videtur, *ubi inquit*: Sanè quidem putandum minimè eſt, ſtriges à Dæmonibus, è quibuslibet etiam occluſis locis ita transferri, ut muros ipſos, aliavè ulla corpora penetrẽt: ſed fit ex locis occluſis translatio, aut *ſilenter celeriterq; remotis*, ac mox rurſum repoſitis, ianuarum repagulis, aut per caminum, ſeu feneſtram, tali

cor-

corpore ſaltem preſsè capiendo ſufficiẽtem: nonnunquam etiam fortè *tabula remota, ac denuò reſtituta*: quod de muro fieri ita ſubitò poſſe, non videtur, *de quare Vide Delriũm. lib. 2. q. 16. & 17.*

Movetur. 6. Ipſæmet Sagarum confeſſiones rem ſæpe dubiam admodum reddunt. Tum quia non conſentiunt in denunciatione frequentationis conventiculorum, quæ inter ſe complices ipſę celebrarint, & adiverint: tum quia perrimas, feneſtras, aut foramina tam anguſta, ſæpè etiam in aliena forma felis, aut muris, aut avis, à Diabolo abductas ſe fuiſſe confitentur, ut nulla ratio permittat credere, eiuſmodi translationes fuiſſe veras, & nõ phantaſticas. Præterquam quod aliquæ frequenter, aliæ non niſi rarò corporales fieri translationes, præſertim coniugatarum, aſſerunt.

Sed & fortè vel hæc concludens ratio non eſt, vel certè ex qua univerſim contrarium & hoc inferri poſſet, eiuſmodi translationes phantaſticas eſſe, & nullo caſu pro veris habendas quod eſſet con-

tra

tra *communem* & ipſius *Tanneri* ſententiã. Confer ad hanc rationem quæ dixi *in q. præced. §. præter hæc argumenta: & duobus §§. ſeqq.* ubi monui, Diabolum & eius mancipia falſa veris aſſuere, ut ne veris quidem fides conſtet, &c.

Cæterum quæ *Tannerus* in 7. & ultima ratione ſubiicit, viros pios & doctos dubios reddi, an revera iis, quæ in hoc genere ſibi contigiſſe aſſerunt Sagæ, ſit fides habenda, an potius deluſæ ſomnia pro factis narrent &c. hæc inquam, quamvis ſuo modo non inficiar, ideò tamen ſæpius hac in re deludi Sagas, quam verè trãsferri, probabiliter non infertur; Et cum ſint utiles regulæ, quibus eiuſmodi phantaſticæ translationes à veris diſcernantur, ut videre apud *Delrium d. l. 5. ſect* 16 ad quem etiã *in q. præc.* lectorem remiſimus, hinc viri docti & pii de cõfeſſione ac trãslatione corporali nõ difficulter judicare poterunt, quã etſi uno vel altero caſu deluſoriam & ſomnium fuiſſe, fortè deprehenderint, attamen non ideo ſæpius, & pluribus in caſibus hanc talem eſſe con-

ſequitur, idq; quamdiu apud viros doctos iuxta ac pios in confeſſo nondum eſt, præſtaret utiq; cōtra Acatholicos ac præſertim *Wierianos* hoſce conventus *proludibriis* habentes ſtatuere, quoad hoc Sagas *varius* deludi, qui alias contra Catholicorum ſententiam communem tantò gravius urgere & ita concludere poſſunt: Quia Catholici fatentur, *ſæpius & ſæpiſſimè* in eo Sagas decipi, adeò ut viri pii docti & prudentes, *iuxta Tannerum*, de eo dubii & perplexi reddantur; Ergo nè dicendum magis, ſagarum hæc ſomnia & deluſiones eſſe, ſiquidem in rebus obſcuris & valdè dubiis mens humana in negantem proclivior ſolet eſſe.

Verum graviorum virorum cenſuras hæc committo, & effectum *quæſtionis huius ac præcedentis* breviter indico, qui hic eſt; nimirum ex iam dictis abundè eluceſcit, quid nimirum & quantum Magiſtratus ac judices *nominationi* qua veneficæ ſe hanc vel illam perſonam in conventu cōplicem vidiſſe deponunt, tribuere debeant, ac præ ſertim ſi ea fiat à pluribus de-

bitè

bitè tamen interrogatis, de quo dicam pluribus *in qq. ſeqq.* per ſe verò patet, ſi defendamus, *Sæpius* quoad corporalē tranſlationem Sagas deludi adeoq; quæ ipſæ in hoc genere ſibi cōtigiſſe aſſerunt, pro ſomniis *ſæpiſſimè* habeamus, quantum inde *Nominationi* decedat, quamq; eius fides labefactetur, hincq; fiat via executionis in hoc crimine difficilior: quippè ita perſona nominata, ſe à ſomniante & deluſa fœmina nominatam eſſe non iniquè queri ac iudici obiicere poteſt.

Atquin, *inquiet aliquis*, an non Diabolus, qui transfigurat ſe in Angelum lucis 2. *Cor.* 11. (hoc eſt aſſumit ſimilitudinem & quaſi ſchema Angeli lucidi, & glorioſi: ne putes de ipſa forma eſſentiali mētionem fieri, *Vide Delr. d. lib.* 5. *ſect.* 16. *verſ. qui transfigurat ſe*) poſſet in conventu iſto *innocentem* ac matronas honeſtas repræſentare, adeò ut multi teſtes poſteà deponant, eas ſe illic vidiſſe, nimirum ut Diabolus miſeris mulierculis perſvadeat, ſe etiam honeſtas perſonas in ſua poteſtate habere, ut ipſæ eò magis iſtis ſuis artibus tribuāt,

prout dicitur *in cap. nec mirum 26. quæſt. 5.*

Verum reſpondeo, vel Deum id nunquam Diabolo permittere, vel ſi permiſit, aliquando quidem innocentes ita infamari, nunquam tamen permiſit eos damnari, ſed mox eorum innocentiam in lucem protulit, quod docet per exempla *Delrio d. loc. paſſim:* & de eo qui dubitant, non benè ſentiunt de divina providentia, quam putant ſinere innoxios à Dæmone non infamari ac repræſentari tantum, ſed & tandem ſupplicio adfici.

Sanè ſi hoc obtineret, poſſet etiam Diabolus in aliis criminibus innocentem puta aliquem in latronum cavernis tanquam homicidam, exhibere, quod utique dicendum non eſt, ſiquidem nihil accommodatius foret ad criminoſos omnes debitis ſuppliciis eripiendos. Et cum judicis ſit in veritatem Nominationis ſollicitè inquirere, facilè ex perſonæ nominatæ *bona Famâ*, vitâ ante *actâ, converſatione*, aliisq; indiciis, an vera an falſa illa ſit, judici apparebit. Verum agam de hoc articulo plenius *in qq. ſeqq.*